

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPANUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNUS EX ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS II.

PARS I.

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

honestatem H. (1) prepositi de Ranshoven fidelis nostri, ipsum in dilectum capellanum recepimus et tam personam ipsius quam omnia bona que in presenti habet vel in futuro, dante Domino, poterit adipisci sub speciali nostra et imperii suscepimus protectione; districtius inhibentes ne quis eum in persona vel rebus suis contra protectionis nostre tenorem molestare aut perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursum.

Datum Cathanie, kalendis octobris, indictione XI.

octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Thaddaei abbatis monasterii Sanctae Mariae de Ferrara et fratrum ejus, inspectis privilegiis quae parentes sui eidem monasterio indulserunt, universas possessiones ejus, libertates et immunitates recenset, concedit et confirmat.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacr.*, t. VI, p. 563, qui alia quaedam privilegia a Friderico nostro eidem monasterio indulta, praecipue unum de anno 1206 obiter notat.)

In nomine Dei eterni Salvatoris nostri Jesu Christi. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Siciliae. Inter cetera pietatis commercia et insignia majestatis illud uberiori fructu colligimus et perpetuitatis erario conservamus quod venerabilibus locis et in castris Dei militantibus provida deliberatione largimur. Dum enim beneficiorum stipendiis indigentium relevamus inopiam, dedicatis ad divina obsequia fratribus liberio rem famulandi Domino copiam impertimur. Ea propter universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris pre-

(1) Scilicet *Heinricus*. Istum praepositum inter annos 1230-1245 huic monasterio praefuisse legimus in Catalog. praepos. Ranshov., ap. *Monum. Boic.*, t. III, p. 235, et in HUND, *Metrop.*, t. III, p. 202. Verum potior fides diplomati quam dicto catalogo habenda erit.

sens scriptum cernentibus innotescat quod venientes (a) ad nostre celsitudinis curiam Thadeus venerabilis abbas [et fratres] conventus sacri monasterii Sancte Marie de Ferraria Cisterciensis ordinis significaverunt sublimitati nostre quod frater Nicolaus qui quondam fuerat abbas ejusdem monasterii, pro imperfectione sua removendum a cura regiminis se prenoscens, antiqui hostis stimulis instigatus (b) quedam privilegia domus inaudita scindens nequitia dissipavit, sicut ex privilegio domine imperatricis Constantie matris nostre, felicis auguste, recordationis inclyte, ipsi monasterio facto et nostre curie presentato nobis innotuit; manifeste significaverunt etiam nobis quod sigillum privilegii domini imperatoris Henrici patris nostri felicis augusti, memorie recolende, eidem monasterio facti, cum ad edictum nostrum idem privilegium post generalem curiam Capue solemniter celebratam nobis assignaverunt cum aliis privilegiis monasterii memorati, ex custodis incuria dignoscitur esse fractum, sicut veraciter constat nobis ex ipso privilegio nostre celsitudini presentato. Propter quod prece supplici petierunt ut pro securitate ac pace ipsius monasterii ipsis successoribusque suis et eidem monasterio concedere et confirmare dignaremur quicquid idem monasterium juste acquisivit vel possidere dignoscitur usque ad hec tempora nostri imperii, tam in possessionibus quam et in libertatibus, donatione, concessione et confirmatione Guighelmi II consobrini nostri et predictorum felicium augustorum parentum nostrorum inclyte recordationis : videlicet locum ipsum in quo idem monasterium fundatum est et terras cultas et incultas que sunt prope idem monasterium infra et extra rivos Januli et Ballanorum, flumen Vulturni, montes majores Sancti Petri et Sancti Eleutherii et viam publicam qua per fines Tramontium itur a Petra Fixa ad Torum Sindonis, triginta modios terrarum Fraxiti Presentiani, Corullanum, Pantanellum, Peticella, startiam Sancti Petri, locum scilicet (c) jardinum Galerani, duo aratra in Bagnoli vel scalerata Rocce Dragonis; in tenimento Theani startias de Fraxo et de Pedemontis

(a) Ap. Ughellum *mittentes*, male.

(b) *Ibidem instigatum*, male.

(c) *Ibidem locus S.*; quod non sine summo dubio restitulumus.

cum alimentis omnibus et accessionibus suis; in Prato rotundo terre Cantie et Delfiana castelli ad mare prope flumen Vene quatuor aratra, bubus terrarum quatuor per quodlibet aratrum deputatis; in Alifia startiam de Corvaro cum molendino quod est ibidem et quidquid aliud in possessionibus domorum, nemorum ac terrarum cultarum vel incultarum et ubicumque habet et possidet vel idem monasterium acquisivit ex dono et concessione Conradi marchionis Molisii, Joannis comitis Alifie, Guillelmi comitis Caserte, . . . comitis Telesie, Rogerii comitis Molisii, Riccardi comitis Sangri, Guffridi de Draconis, Ugonis, Rainonis, Simonis et Matthei amite ipsorum de Prata, Gismundi de Rocca Romana, Tallacotii filii et Jacobi nepotis ipsius, Filippi de Bussone, Rainonis Raonis Jussi, Malgerii Sorelli militis, Ugonis de Cerolanis et Ugonis consobrini ipsius, Tallacotii de Cajano, Roberti de Fossaceca, Pandulphi. . . . et Johannis Zicti fratris ejus, Marie de Albiniano, Roberti Totomonis de Peutomis, Matthei de Surrento, Roberti de Prata, Simonis Spartarii de Vinculatorio, Guillelmi de Cantalupo, Ugonis de Sancto Petro in fine et aliorum fratrum suorum, nec non et Guarinam, Surretellas, pastina de Alderado, molendinum Corradi cum tornis et balcatorio, Campum majorem et campum de Capite campi, montem Pedirculi cum libero usu pascuorum, lignantium, aquarum et piscationum Matesii fluminis et castrum Pedismontis; vineas, domos, cannabisertum et alias terras, domos et molendina civitatis Alifie cum quadam terra de Cesis; terras, molendina, balcatoria et cavatoria Pratelle; domos, terras, molendina et torfam civitatis Telesie cum tenimentis Johannis Bassi et Bartholomei Pagani; terras et molendina Pentimarum; startiam de Silice cum molendino Clanei et domo Averse; molendinum et terras quasdam Roberti filii Minoris de Capua; domos terrasque Marie uxoris Mazoleni Protojudicis Capuani protonotarii et Johannis de Riccardo; startiam de Cerro; quamdam petiolam terre arbustatam existentem et alias startias quas idem monasterium habet et possidet vel noscitur possidere titulo oblationis, emptionis et concambii in Vaiitano, in Cajatia civitate, ad Sanctum Maximum et Sanctum Damianum et Sanctum Germanum, in Alifia, Aglano, Miniano, Capua, Sancta Agatha, Beneventana, Prata, Marchano, Lejario, Marzano,

Calvi civitate (a), civitatibus (b) Suesse et Trajecti, Capriata, Venafro civitate, Monterodone, Bojano civitate, Campoclaro, Albiniano, Daja, Sancto Johanne in Clusa, et precipue cambium terrarum Sancti Angeli de Ravecanina ad Geronem, Sanctum Maurum, Sanctum Stephanum, limatam, peditam et cataliscam, curtem Johannis de Nicolao et alias terras Todini. Nos autem precibus eorum intra sacrarium exauditionis nostre benigne admissis, considerantes religionem et honestatem eorum qui Deo et hominibus placere noscuntur, jamdictum monasterium cum omnibus supradictis tenimentis et possessionibus suis et omnium ecclesiarum vel grangiarum suarum sub nostra speciali protectione et defensione in jus regium recipientes, presenti divali pagina ipso (sic) monasterio, prefato abbati, successoribus ac fratribus ejus donamus, concedimus et in perpetuum confirmamus prescripta omnia libera et exempta ab omni servitio vel qualibet exactione; et de abundantiori quoque gratia nostre sublimitatis eidem monasterio donamus, concedimus et in perpetuum confirmamus quicquid de feudis suis Niel civis Beneventanus, Bartholomeus de Petra Pulcina, Nazarius gener ejus, Severinus dominus Terre Rubee et Tammarii, Michel filius ejus et Girardus de Monteleone ipsi monasterio contulerunt, secundum quod continetur in instrumentis que sunt inde confecta; videlicet Palatam totam et omnes pertinentias ejus cum terris omnibus quas idem monasterium habet in Petra Pulcina, Terra Rubea, Tammaro, Monteleone cum medietate cujusdam molendini quod ibidem. . . . Concedimus etiam et perpetuo robore confirmamus dicto abbati, successoribus ac fratribus ejus omnes donationes seu oblationes quas fecit dicto monasterio frater Machabeus cum fratribus suis de omnibus ecclesiis et locis quos ipsi acquisiverunt cum omnibus tenimentis et rationibus suis, et quicquid aliud ubicumque idem monasterium possedit vel possidet per privilegia vel publica instrumenta, donatione, oblatione, concessione et confirmatione prescriptorum regis Willelmi secundi consobrini nostri et felicium augustorum parentum nostrorum vel aliarum personarum. Hec autem predicta omnia et singula [cum] terris cultis et incultis,

(a) In impresso *civitatis*, minus recte.

(b) In impresso *civitatis*, minus recte.

sylvis et nemoribus, pratis et paludibus et libero usu aqueductus faciendi ac quecumque alia idem monasterium in presenti possidet vel in antea oblatione, donatione, concessione et venditione, dante Domino, poterit adipisci tam de demanio quam de feudis et tenimentis eorum omni jure nostre majestatis seu quibuslibet benefactorum (?) nostrorum quod inde pertineat, nonobstantibus privilegiis seu litteris a nostra majestate hactenus impetratis vel amodo impetrandis, eidem concedimus et in perpetuum confirmamus. De affluentibus quoque gratia nostre liberalitatis eximimus monasterium ipsum, grangias et homines ipsius ab omnibus datis, collectis, adjutoriis, bannis publicis vel privatis et defensionibus comitum, baronum et aliorum fidelium et officialium nostrorum; confirmantes eidem omnes libertates et immunitates que a Romanis pontificibus seu ab aliis nostris fidelibus hactenus indulte sunt dicto monasterio, [vel] aliquas in posterum indulgendas. Volumus insuper et mandamus ut nullus infra septa monasterii supradicti vel grangiarum suarum hominem capiat vel interficiat vel in aliquo ledere seu molestare presumat, et quicumque criminosus ad predicta loca confugerit, securus sit donec ibi permanserit. Injuriarum et contumeliarum quoque tumultus, rapinas, rupturas et violentias in predictis locis fieri prohibemus. Fugientes et deserentes seculum eique perpetuo renunciantes cum omnibus rebus suis liceat (a) fratribus predicti monasterii ad. tempore et absque alicujus contradictione retinere. Concedimus etiam et dicte majestatis gratia perpetuo confirmamus libera pascua pro animalibus suis absque herbatico et glandatico et absque exactione qualibet [per] universas demanii nostri terras necnon et liberum usum incidendi viridia siccaque ligna, ubique mutandi vias et aliunde reddendi et ducendi aquas per terras suas, faciendi molendina, fulloria et quelibet alia eorum ordini congruentia in locis suis. Ea. preterea fratres et homines dicti monasterii cum rebus suis terra marique et fluminibus ab omnibus plateaticis, passagiis, pedagiis, doanaticis, falangaticis, herbaticis seu quibuslibet generibus exactionum vel anga-

(a) In impresso *licite*, minus recte.

riarum; concedentes eidem liberam facultatem vendendi res suas et alienas emendi ad misuram propriam sine datione seu qualibet exactione, et habendi iudices et notarios quos voluerit in agendis suis ac faciendi liticarias in aquis juxta terras suas, et ut secularium iudicio de rebus et personis suis minime subjiciatur (a) nec teneatur alicui contra statuta ordinis eorum jurare. Preterea irritamus penitus et annihilamus omnes stipulationes, alienationes factas vel promissiones seu pacta que aliquando abbas seu fratres vel rectores cum conventu dicti monasterii fecerunt aut fecerint in prejudicium ipsius, districtius inhibentes ne aliquis id quod dicto monasterio semel dedit aut dederit auferre audeat ab eodem, nullis hujusmodi pagine litteris obviantibus a nostra maiestate hactenus impetratis vel amodo impetrandis; et si apparuerint aliquae littere contrarie hujusmodi nostre donationi, concessioni et confirmationi, careant effectu, et licet in omnibus privilegiis clausula illa de salvo mandato et ordinatione nostra consueverit annotari, in isto tamen privilegio de speciali gratia iussimus non apponi. Ad hujus autem nostre protectionis et confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Johannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data Messane, anno dominice incarnationis millesimo ducesimo vigesimo secundo, mense octobris, decime indictionis (1), imperante domino nostro Friderico Dei gratia excellentissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus secundo et regni Sicilie vicesimo quarto (b), feliciter. Amen.

(a) In impresso *subjaceatur*, pessime.

(b) Rectius autem *vicesimo quinto*.

(1) Cum locus dati privilegii optime itineris ordini conveniat, maiorem hic fidem anno incarnationis expresso censemus adhibendam quam numero indictionis quae undecima notari deberet.